

rogata non saperet naturam illius, in cujus locum subrogatur, nec esset cum eisdem qualitatibus, & conditionibus, quod esse non debet, ex his, quæ optimè congerit Mieres de Majoratu, dicta quæst. 11. num. 1. & seqq.

Præterea, subrogatio prædicta manifestè probat institutionem, seu nominationem antea factam in persona dicti D. Petri de Alarcon, ad Majoratum dicti Bernardi de Mata, quia nullo modo esse potest, quod in locum dictæ domus venditæ, in qua necessario debeat succedere dictus D. Perus, subrogetur alia domus, quæ ex testamento dicti Bernardi de Mata, uni ex filiis relinqui debuit jure Majoratus, nisi posito prius, quod idemmet D. Petrus succedat in Majoratu prædicto dicti Bernardi de Mata; nec etiam aliquo modo succedere potest in eo dicta filia, subrogatione, ut dictum est, antea facta: unde eo ipso, quod dictus pater domum præfatam sic subrogavit, suppositum aperte quod ad majoratum dicti Bernardi de Mata, jam nominaverat dictum D. Petrum (quod ipse suo ore confessus fuit,) & sic amplius variare non potuit, nec aliter disponere, argumento eorum, quos scripsit Sylvester Aldobrandinus in consilio 2. n. 16. lib. 1. Et quia voluntas, aut factum eligendi, non minus deducitur, seu colligitur ex factis, quam ex verbis; imò potentius demonstratur, & probatur factis, quam verbis, quia facta effectum ostendunt, verba verò aliquando contra voluntatem proferentis sunt, ut cum aliis adnotavit Menoch. in consil. 5. n. 16. lib. 1. & probat text. in l. Paulus respondit, ff. rem ratam haberi, l. si tamen, §. eis qui ff. de edicto, cum aliis adductis à Mieres de majoratu, part. 1. quæst. 36. n. 6. Joanne Viencatio Handed. in consil. 5. n. 64. lib. 1. Sed quando testator committit alicui, ut pro eo Majoratum faciat, vel meliorationem in aliquem filium sufficit, quod talis commissarius coram testibus dicat, se velle eligere ad Majoratum talem filium, sic ut talis dispositio dispositiva dicatur, non enunciativa, & statim eligere videatur, * ex Socino in consil. 88. n. 4. lib. 3. quem sequitur Marianus, Socinus junior in consilio 179. numero 25. l. 2. item ex his, quæ adducit Joannes Vincentius de Anania allegatione 139. ex num. 12. usque ad n. 20. & confert multum ad propositum resolutionis Joannis Marci Aquilini in leg. prima, §. si quis ita, n. 35. ff. de verborum obligat. ex quo num. usque ad numerum 38. latius agit, an, & quando verbum Volo adjectum Infinitivo disponat, aut non; & quando verba prædicta cum deliberatione, & intentione eligendi proferuntur; verum credit Mieres de majoratu parte 1. quæst. 48. n. 59. & confirmatur ex his, quæ adnotarunt Antonius Gomezus in l. 3. Tauri, n. 119. Alvarus de conjecturata mente defuncti, lib. 2. cap. 2. in principio, num. 26. ubi verò dispositivè verba proferuntur, & coram testibus, quod variare non liceat, ex Molina, & aliis supra traditi & probat ipse Molina lib. 2. de Hispanorum primogeniis, cap. 4. n. 37. Mieres dicta quæst. 48. n. 45. Idem ergo observari debet, facta subrogatione prædicta, & sic actu, qui stare non potest, nisi supposita nominatione, ut facta non minus operentur, quam verba, ex dictis supra: item ex his, quæ ferè in terminis nostris, de eo, qui habeo nominare ad emphyteusim, observavit Caldas Pereira de nominatione emphyteutica, q. 1. n. 9. Et hæc de his, ex quibus manifestè apparet de justitia, & jure dicti D. Petri de Alarcon: & ita in favorem ipsius pronuntiatum vidimus olim, hodieque pacificam obtinet dicti Majoratus possessionem, quam sententia conformibus in Regio Pinciano Senatu latis obtinuit.

* Verbum Volo, quando dispositionem, aut electionem inducat, ultra relatus hic, vide omnino P. Thomam Sanchez de sponsal. lib. 6. disp. 22.

CAPUT XXVII.

An emancipato filio, nepos sit instituendus.

Ad explicationem Assertionis 13. & 115. quæ cap. 81. libri primi continentur, utrum, inquam, in formulis Galli Aquilii institutio filii,

per emancipationem irritetur, ut tunc nepos posthumus admitti debeat, ac si mortuus esset filius: ubi res ista breviter, & absolute explicatur, & §. & quid sit tantum, legis, Gallus, ff. de liberis & posthumis, verus intellectus adducitur.

SUMMARIUM.

- 1 Authoris circa præcipuum hujus cap. dubium, sententia tradita supra, cap. 81. lib. 1. assert. 13. & assert. 115. proponitur, & ibidem dictarum Assertionum verba referuntur.
- 2 Bartol. sententia in præfato dubio recensetur, quæ in effectu continet casus duos.
- 3 Bartoli & sequacium præcipuum fundamentum refertur, & numeris sequentibus diluitur concludenter.
- 4 Emancipationem filii instituti, non facere locum nepoti posthumo juxta Galli Aquilii formulam substituto, ex sententia quorundam contra Bartolum, quam defendit Author.
- 5 Et pro illa nonnulla fundamentum adducit, & num. seq.
- 6 Textum in §. & quid sit tantum, legis, Gallus, ff. de liberis & posthumis, communem sententiam non probare, ut hoc numero adnotatur, ubi ejusdem §. verus intellectus adducitur.

PRO hujus capitis dilucida, brevi tamen, & vera explicatione constituendum erit in primis, quod c. 81. libri primi, duæ in proposito continentur Assertiones, quæ idem in effectu probarunt, ut constat ex assertione 13. & 115. ibidem prolatis, nam dicta assertio 15. contra Bartolum, & ejus sequaces verius credideram instituti filii emancipationem locum non facere substituto vulgari, cum substitutio facta est secundum formulam Galli Aquilii, nec in illa formula institutionem hæredis irritari per emancipationem; dicta verò assertio 115. secunde defendi, casum emancipationis, quem ad extensionem casus mortis Scævola adduxit, non pertinere ad filium, cujus emancipatio institutionem non infirmit, licet jura sui hæredis auferat, sed ad nepotem, qui præteritus fuit, ideoque non obstat pronepoti posthumo: hoc autem, quoniam difficultatem habet, & in scholis frequenter controverti solet, majori equidem explicatione indiget. Ideo, & secundo loco constituendum erit, quod Bartolus quæstionem hanc proponens in terminis, in l. 2. prima, ff. de vulgar. & pupil. substitut. n. 29. quærit in hunc modum: si institutus in primo gradu potest esse hæres, sed non eodem modo, quo defunctus voluit, quia fuit institutus suus, vel necessarius, sed in tempore mortis repetitur emancipatus, vel manumissus; an tunc admittitur institutus, vel substitutus? Et in hoc dubio distinguit duos casus principales, quorum primus est, cum vulgaris substitutio fuit facta ex necessitate, ut quando nepos substituitur filio, & tunc inquit, quod substitutus præferatur, quasi institutio filii sui hæredis tunc per emancipationem ipsius irrita fiat, eo quod in suite magis, quam in hæreditate facta videatur, & allegat Bartol. text. in l. Gallus, §. & quid sit tantum, ff. de liberis & posthumis. Secundus casus est, quando substitutio facta fuit ex voluntate, id est, quando is substitutus fuit, qui non potest subintrare in locum suæ patris; & tunc præfertur institutus non attenda status mutatione, per text. in eadem l. Gallus, §. ultimo, & in §. servus autem, versiculo, si vero, Institut. de hæred. instit. l. si paterfamilias, ff. eodem titulo. Ratione etiam, quia testator videtur substituisse in eum casum, si hæres non erit quoquo modo; & idem tenuit ipse Bartol. in dict. l. Gallus, §. & quid sit tantum, n. 4. & ejusdem distinctionem, seu doctrinam sequuntur communiter omnes, ut testatur Jason in dict. §. & quid sit tantum, in prima lectione, n. 45. & in secunda lectione, n. 46. Fortunius ibidem, n. 196. & Costa 3. part. num.

num. 15. Socinus in dict. l. 1. ff. de vulgar. & pupil. substitut. num. 34. Alexander n. 30. & Ripa n. 208. Baldus de Ubaldis de substitutionibus, cap. de vulgari, n. 20. & sequuntur Sfortia Oëdi in præludis compendiosa, 2. part. quæst. 5. in versiculo, hæc tamen vera sunt. Grassus §. substitutio, quæst. 10. n. 3. Alexander Trentacinquius de substitutionibus, 1. par. cap. 10. ex numero. 7. cum sequentibus, qui dicit distinctionem Bartoli in primo casu procedere etiam secundum hodierna jura, quoniam emancipatus in successione ex testamento non habet suavitatem, ut latius probat ibidem.

3 Et verè, communis hæc sententia eo dumtaxat, aut præcipuo fundamento nititur, ut substitutionem per emancipationem filii, habuisse effectum dixerit, quod, ut dixit Bartolus ubi supra, non tam in hæreditate, quam in suite factam videri substitutionem crediderit, & sic, quod nepos posthumus censetur vocatus eo casu, quo filius desinat esse suus, per text. in §. præterea, Institut. quibus modis jus patriæ potestatis solvitur, juncto text. in §. sui, Institut. de hæred. qualitat. & different. ubi text. inquit, nepotem, cujus pater emancipatus est, consequi jura sui hæredis, quoniam pater per emancipationem desinit esse in potestate sui patris, & consequenter suus esse non potest: unde ex eadem sententia communi, institutio restringitur per substitutionem, & intelligitur facta, si non emancipetur filius à patre ante aditam hæreditatem.

4 Verum enim verò, ut in præfatis Assertionibus dixi, neque secundum hodierna jura, neque etiam secundum antiqua, vera est opinio Bartoli, aut distinctio supra relata, quatenus ex ea colligitur expressim, emancipationem filii instituti facere locum vulgari substituto, cum nepos substitutus est juxta Galli Aquilii formulam, & contrarium rectius defendit Emanuel Costa tertia parte dicti §. & quid sit tantum, n. 15. & sequentibus. & in effectu idem tenent Recentiores alii, quorum statim mentionem faciam: & ultra rationes, quas adducit Costa, hæc pars probatur primò, per text. in dict. l. Gallus, in §. finali, in versiculo, queramus, ubi institutio hæredis non irritatur per emancipationem, etiam cum testamentum factum est secundum formulam Galli Aquilii, imò emancipatus admittitur, & substitutus excluditur, & verè substitutio facta fuit in hæreditate; nec potest negari, quin falsum sit dicere, quod per illa verba: Filius hæres esto, dumtaxat censetur filius institutus in suite, & non in hæreditate, cum nulla verba esse possint, quibus institutio in hæreditate aptius concipi valeat, quam per prædicta. Secundo probatur per text. in l. ante penult. ff. de injusto rupto, l. filio, quem pater, ff. de liberis & posthumis, in §. finali, §. alienus quoque. Institut. de hæred. instit. dum probant, quod mutatio qualitatis hæredis instituti, non vitiat ejus institutionem. Tertio, quia si verum esset substitutionem prædictam in suite factam fuisse, ut Communis, sed malè quidem affirmat, sequeretur, quod apposita esset conditio, si suus erit filius, quæ conditio cum in potestate filii non sit, sub ea non posset ipse institui; imò sic institutus, jure Digestorum præteritus dici deberet, per text. in l. suus quoque, 4. ff. de hæredibus instituentibus. Item quod conditio illa, si suus erit, etiam non expressa, subintelligi deberet, contra text. in l. prima, ff. de condition. & demonstration.

6 Quarto, & ultimo, quoniam text. in dict. §. & quid sit tantum, dict. l. Gallus, per quem Bartol. & sequaces moventur, superiorem sententiam non probat; nam juxta veram interpretationem, quam tradiderunt Salomonius num. 1. & 20. Sarmientus num. 41. Costa 3. part. n. 33. in eodem §. Cujacius & Hotomannus ibidem, Lælius Taurilius in enarratione ad eundem text. Alciat Paradox. lib. 3. cap. 9. casus emancipationis non refertur ibi ad filium institutum, sed ad nepotem præteritum, ut constat ex versiculo, quid sit nepos, ubi Jureconsultus Scævola continuat speciem, quam tractaverat in §. præcedenti, & ad illum se refert: in eo autem dixerat valere pronepotis posthumus substitutionem, si filius sit institutus, & nepos præteritus, dummodo ipse nepos moriatur ante filium; & retinendo eandem speciem in dict. §. & quid sit tantum

in dict. versic. quid sit nepos, quærit ipse Jureconsultus, an si nepos non moriatur ante filium, sed emancipetur vivo filio, valeat pronepotis substitutio, & respondeat valere, idque jure optimo, quoniam eo casu, cum nepos emancipatus sit, non potest postea sublato filio in locum ejus succedendo, rumpere tanquam præteritus testamentum, ut latius constare poterit ex his, quæ tradit Costa ubi supra, ex n. 23. & in effectu tenuerunt etiam Duarenius, & Emilius Perottus in commentariis ejusdem S. Antonii Faber lib. 9. conject. cap. 3. & vide novissimè Andream Fachineum controversiarum juris, lib. 10. cap. 45. & Jason in dict. §. & quid sit tantum, l. lez. n. 13. & 2. lez. n. 5. qui præfatam interpretationem sentire videtur.

CAPUT XXVIII.

SUMMARIUM NON DEDUCITUR, quia seipsum summat propter sui breviter.

De potestate Principis circa tollendum jus quæsitum.

De potestate Principis circa tollendum jus quæsitum, sive à lege, sive ab hominis dispositione proveniat, vel circa tollendam, aut mutandam, sive revocandam testatoris voluntatem quoad fideicommissa, & majoratus, legesque, & conditiones illorum, & qualiter in his dispensatio, vel mutatio impetrari debeat, & ab ipsomet principe contra testatoris, vel ad ejus voluntatem, an possit aliquis habilitari, ut in fideicommissis, aut majoratu succedat, vel relicta in unum usum, an Principis decreto possint commutari: ubi in proposito eorum omnium, quamplures Authores congeruntur in unum, ac inter alios, Antonius Gabriel, Didacus Covarruvias, D. Francisc. Sarmient. Simon de Prætis, Marcus Antonius Peregrinus, Angelus Mathecius, Pelæz à Mieres, Fortunius Garfia, & Andreas Fachineus magis commendantur, & redditur ratio, quare hujusce capitis majorum disputationem Author omiserit.

DE potestate Principis circa tollendum jus quæsitum, sive à lege, sive ab hominis dispositione proveniat, vel circa tollendam, aut mutandam sive revocandam testatoris voluntatem quoad fideicommissa, & majoratus, legesque, & conditiones ipsorum, & qualiter in his dispensatio, vel mutatio impetrari debeat, & ab ipsomet Principe concedi, tot tantaque tradiderunt Scribentes nostri multis in locis, ut de his velut plena volumina, integrique tractatus esse videantur: Idcirco, quamvis possem nunc ex multis, quæ assidue, importunoque labore perlegi, & in nonnullis causis tractavi, aliqua non contemnenda in medium adducere, consultius duxi, eam quæstionem, vel ad alium locum reservare, quoniam opus hoc in majus volumen accrevit, quam putaram, vel his, quæ in proposito adnotare possem, scienter, consultoque prætermisissis, dumtaxat recensere hoc loco Authores quamplures, qui magis ex professo, atque utilius de prædictis tractarunt & ferè nihil, quod in proposito excogitari valeat, intactum relinquunt. Sic enim eveniet, ut cum occasio se offerat, ipsius nunc congestis in unum, absque tanto labore possit propositarum, & aliarum similiarum quæstionum vera resolutio deduci.

Et ad rem deveniendo, in primis monendum Lectorem duxi, hisce de rebus sequentes Authores, ordinè sequenti legendos omnino;

Antonium Gabrielem lib. 3. de commun. conclus. conclusione prima, ubi latissime, & conclus. 5. n. 18. & vide etiam conclus. 2. § 3.

Guid. Pap. in questione. 556.

Romanum figurari 475.

Socinum Seniore in consilio 76. num. 121. cum sequentibus, lib. primo, & in consilio 266. n. 49. cum sequentibus, l. 2.

Alexandrum in consilio. 2. num. 14. cum sequentibus, lib. primo.

Socinum juniorem in consilio 65. ex num. 3. cum sequentibus, lib. 2.

Curtium juniorem in consilio primo, ex n. 20. cum sequentibus, prima parte.

Paulum Parisium in consilio primo, n. 49. cum sequentibus, lib. primo.

Rolandum in consilio 69. num. 23. § sequentibus, lib. 2.

Cravetam in consilio. 299. per totum, & in consilio. 5. n. 4. & in consilio. 135. n. 21. cum sequentibus, & in consilio. 241. n. 13. ubi considerat aliquas causas, ex quibus permittitur sit tolli jus quæritum per principem.

Capicium decisione. 108.

Fortunium Garfiam, qui optime, & late in proposito loquitur in l. Gallus, §. §. quid si tantum, columna. 137. cum pluribus sequentibus, ff. de liberis & posthumis.

Joannem Lecrier, qui etiam latissime loquitur in proposito hujus materiæ, de primogen. lib. 3. questione 7.

Burgos de Pace, qui etiam latissime prosequitur hanc materiam, in proemio legum Tauri, ex n. 323. cum pluribus sequentibus, & in consilio 26. n. 7.

Jacobum Philippum Portium lib. primo, commun. sentent. regula 43. colum. 21.

Petrum de Peralta in l. 3. ff. de heredibus instituendis, ex n. 146. cum seq.

Menchacam de successorum creatione, lib. primo. §. 1. n. 29. cum sequentibus, & controversiarum illustrium, lib. primo, cap. 12. per totum. Qui, ut videbis, in nonnullis aduersatur his, quæ loco statim referendo annotavit Didacus Covarruvias.

Barthol. Romul. in tractat. de testat. præcep. 60. extra famil. alie. prohibend. ad §. divi, n. 223. cum sequentibus, usque ad finem.

Gregorium Lopez in l. prima, titulo primo, verbo, ante fiere, in fine, & in l. 31. titulo 9. Glossa magna columna 11. partita 6. & in l. 3. titulo 13. verbo, mugeres, columna 8. § 9. eadem partita 6. & in lib. 6. titulo 12. verbo, que la no pudieffe vender, colum. 3. partit. 6.

Didacum Covarruviam, variarum, lib. 3. cap. 6. per totum, qui videndus est ex proposito; ibi namque in præcipuis hujus capitis dubiis, omnia quæcunque pro Principe, & contra Principis potestatem fundamenta esse possunt, adducit; & tandem n. 5. verior sententiam esse dicit, ut Princeps regulariter, minime possit testamentis privatorum derogare, nec eorum leges & conditiones tollere, nec immutare postmodum verò n. 6. § 7. id limitat, & declarat, nisi fiat ex causa publicæ, non privatorum utilitatis, ut latius ibidem inuenies resolutum.

D. Franciscum Sarmientum, quem in hac materia Lectori commendo, selectorum lib. 1. cap. 8. ubi n. 13. ipsummet, quod Covarruvias, observat, & rectè constituit, principem sine causa non posse prædicta facere, & repetitum. 15. & n. 16. § 17. & vide n. 21. § 22. ubi eleganter, & maturè probat, Principem habere majorem potestatem in his, quæ publicam utilitatem, aut pietatem respiciunt, quam in his, quæ in privatorum utilitatem sunt, in quibus voluntas disponentis pro lege observanda est, & dumtaxat considerari debet, ne aliquid iniquum vel à lege reprobaturum contineant, non autem, quod melius potuissent disponere considerandum est. Quod enim testator voluit, ut ipse inquit, non quod voluit melius fuisset, est attendendum. Quæ verba sunt proculdubio singularia, & notanda, nec per alios sic in proposito considerata. Vide etiam eundem Authorem ibidem, n. 24.

§ 25. ubi agit de commutatione voluntatis in aliam causam, vel ad alium modum.

Antonium Gomezium in l. 40. Tauri, n. 82. § n. 86. § 89.

Emanuel Suarez in Theaur. recept. opinion. lit. P. num. 264.

Tiberium Decianum in consilio 88. n. 63. lib. 2.

Ariam Pinellum in rubrica, C. de rescindenda venditione, l. part. cap. 2. ex n. 15. cum sequentibus, ubi in effectu cum communibus resolutionibus transit, & idem observat, quod Covarruvias, & Sarmientus, in locis antea relatis, & n. 19. in fine, securè affirmat, nec summum Pontificem, nec Principem alium secularem sine causa, testatoris voluntati posse derogare, maxime, ubi vertitur tertii præjudicium: & eodem num. atque etiam n. 18. agit, qualiter in his dispensatio, vel mutatio impetrari debeat.

Ludovicum Molinam, & Mieres, quem etiam in sumario comedandum eo duxi, quod late ipse loquatur in hac materia, & latius se habeat, quam Molina, multaque congerat, quæ in casibus occurrentibus utilissima esse possunt, Molinam inquam, de Hispanorum primogeniis, lib. 1. c. 8. ex n. 28. & lib. 2. cap. 7. n. 18. & lib. 3. c. 3. ex n. 11. & n. 20. § 27.

Mieres de majoratu, in initio secunda partis, ex n. 46. usque ad numerum 64. ubi vide omnino, & ii duo Authores excitant omnia superiora dubia, & causam etiam omnino necessariam in Principe affirmant, nec absque causa, vel pro arbitrio mutationem, aut derogationem voluntatis testatoris fieri posse defendunt.

Mascardum de probationibus, lib. 1. conclusione 276. in principio, § n. 7. 8. § 9.

Bonifacium Rogerium in consilio 2. num. 149. lib. 1. & in consilio 2. n. 80. § 81. § n. 19. § 110. lib. 2.

Antonium Theaurum Pedemontana 37. per totam, maxime num. 10. quo loco inter alia, optime agit, an Princeps possit impuberi testamenti f. ctionem concedere, in præjudicium venientium ab intestato, vel aliorum; quibus ex substitutione pupillari jus erat acquisitum, & ibi plura cumulat, & tandem dicto n. 10. suam sententiam interponit.

Petrum Magdalenum de num. testium in testamentis requisito 2. parte, cap. 4. n. 73. § n. 79. & vide etiam prima part. cap. 22. n. 77.

Simonem de Prætis, quem, ut vidisti commendavi etiam in sumario hujus capitis de interpretatione ultimarum voluntatum, lib. 1. solutione 13. per totam, folio mibi, 41. ubi in venies nonnulla necessaria, maxime, an, & qualiter possit Princeps testatoris voluntatem interpretari, ad corrigendum, addendum, suppleendum, vel extendendum testamentum, vel illud confirmandum, aut annullandum: & an habeat tantam potestatem in interpretandis testamentis, quantam in legibus interpretandis. Vide etiam eundem Authorem lib. 4. dubitatione 3. ex n. 18. usque in finem dubitationis, folio mibi 427. ubi late, & utiliter, an & quando testatorum voluntates, & dispositiones, Principis autoritate mutari possint, vel in aliam, aut similem, aut diversam causam, aliumve usum converti; & ibidem rectè in proposito distinguit, & optime considerat, ut & Sarmientus relatus supra consideravit, an dispositio sit facta in commodum, & usum privatum, vel in commodum, aut usum pium, & publicum, & antea dictis convenit semper ipsius resolutio, nempe testatorum voluntates tollere, aut mutare Principem non posse, nisi ex justa & publica causa, & vide num. 29. ubi dicit unum singulare, videlicet, quod si à testatore legata sit certa quantitas pecuniarum ad certum opus pium perficiendum, eo completo, & perfecto, si de quantitate relicta aliquid superfuert, reliquum hoc non debet converti in alium usum pium, sed restitui heredi, vel legatario, cui fuerat relicta tota quantitas ad opus pium perficiendum, & refert, Angelum, Castrensem, & Alexandrum sic tenentes.

Vide etiam de eisdem quæstionibus, Hartman. Pistorium

SUMMARIUM.

rium lib. 2. quæstionum juris, parte posteriore, capite 4. Andream Gaill. practicar. observat. lib. 2. observat. 56. Oddum in tractatu de in integrum restitutione, part. 2. quasi. 99. artic. 8.

Jacobum Menochium in consilio 203. n. 68. lib. 1. § in consilio 20. ex n. 30. eodem libro.

Marcum Antonium Peregrinum, in sumario hujus capitis à me commendatum, de fideicommissis, articulo, § 2. ubi latissime, atque ex professo scribit de hac materia, & multa congerit utilia quidem, & notata digna, ex num. 108. usque ad numerum 135. & n. 144. usque ad finem articuli, & n. 117. cum Communi transit, quod absque causa non possit Princeps derogare voluntati testatoris; possit tamen ex causa, quæ respiciat publicam utilitatem & n. 154. agit, an Princeps possit contra testatoris voluntatem, vel ad ipsius voluntatem habitare aliquem ut succedat in fideicommissis: & n. 159. § seq. an Principis decreto possit commutari relicta in unum usum, in alium, vel una res fideicommissaria in aliam rem.

Marcum Antonium Eugenium in consilio 50. ex num. 5. n. 23. cum seqq. lib. 1.

Angelum Matheacium de legatis, § fideicommissis, lib. 2. cap. 12. per totum, ubi originaliter videas, & omnino, & hic Author in effectu, communi scribentium resolutioni accedit in omnibus, atque ex n. 16. quinque principales conclusiones in hac materia proponit, ex quibus perfectè, ut existimat, diluitur dubium præcipuum de potestate Principis circa tollendum jus quæsitum.

Joannem Marcum Aquilinum in repetitione §. §. quid si tantum, legis, Galus, ff. de liberis & posthumis, in versiculo, Quid enim si aquæ, n. 98. § n. 107. cum sequentibus, usque ad numerum 117. ubi agit de intellectu litem si verberatum, §. ff. de rei vindicatione, & l. Lucius, ff. de evictionibus, de quibus etiam Fachineus.

Denique vide Andream Fachineum controversiarum juris, lib. 8. cap. 63. per totum, quem in sumario hujus capitis ideo commendavi, quod ipse, sex quæstionibus principalibus omnia comprehendit, quæ in proposito dubio, de potestate Principis circa tollendum jus quæsitum, vel quærendum, videntur præcipua.

Vide etiam & infinitos alios Authores, quos, Deo dante, lib. 3. cap. 6. harum quotidianarum controversiarum congeram in unum; ipsi namque, in illa quæstione, an Princeps sine causa possit subditis rei suæ dominium auferre, multa recensent, quæ huic capiti, & materiæ sunt valde conducibilia, ac eodem loco, Hyppoliti Riminaldi consilii cujusdam specificam mentionem faciam, & ideo multum commendare decreverim, quod inter omnes hucusque scribentes, nullum inuenies, qui in proposito quæstionis prædictæ, sic ex professo, atque erudite, & magistraliter se habuerit, ut tunc videbis.

CAPUT XXIX.

De Jurisdictione Delegati perpetuanda.

Ad explicationem text. in l. § quia, in fine, ff. de jurisdic. omn. judic. in c. gratum, in c. relatum, & in c. licet undique, de officio, & potest. judic. de leg. in c. quamvis, & in c. si delegatus, eod. tit. lib. 6. § in c. ultimo, de officio legati; diligens equidem, accurata, & nova, vera tamen, atque notanda interpretatio traditur, quæ, ut videbis Lector, adnotantur nonnulla per Authorem, quæ nullibi inuenies scripta, etsi Interpretum omnium, atque aliorum traditiones, sive observationes prælegeris, & in effectu res hæc distinctione, & certa resolutione explanatur, quæ velut in tenebris antea fuisse videbitur.

1 Delegatus morte, re integra, delegati jurisdictionem extinguat? re non integra, non extinguit.

2 Et de ratione actum hoc numero per totum.

3 Delegatus, si vices suas in totum alteri commiserit sive subdelegaverit, causam sibi commissam, re integra eam reassumere potest, re non integra non potest: & ibidem ratio assignatur.

4 In delegatione, quando res dicatur esse integra, vel quomodo integra esse desinat: ubi tres referuntur in proposito dubio sententiæ contrariæque omnino opinionem, ut hoc numero latius adnotatum invenies, & vide infra, num. 15.

5 Quarundam Authorum sententiæ, atque interpretationes damnantur.

6 Delegati jurisdictione ut perpetuetur, an de jure civili litis contestatio, vel citatio necessaria sit, vel actus citatorius etiam citatio sufficiat, quamvis nec citatio, nec litis contestatio interveniat, idque eodem jure civili non expressum, nec etiam clare diffinitum, ut noviter, & vere hoc numero adnotavit Author.

7 Idem etiam nec jure Pontificio explicatum in cap. licet undique de officio delegati, consistere ex serie ejusdem textus aperte, ut noviter etiam, seu ultra omnes adnotatur hoc loco.

8 Nec etiam à Bonifacio VIII. distinctè explicatum, deduci manifestè ex verbis duorum jurium, quæ hoc n. recensentur.

9 Ceterum Urbanum III. & Gregorium IX. Pontifices maximos, distinctè satis, & aperte rem hanc explicasse, & pro perpetuanda delegati jurisdictione, citationem omnino requirere.

10 Judicium propriè incipere à litis contestatione, non verò à citatione.

11 Text. in cap. relatum, de officio delegati, eleganter exornatur, & Lucii III. mens, dilucidè, & melius quam antea fuisset, enucleatur, & vide numeris sequentibus.

12 Text. in cap. gratum, de officio delegati, explicatur, & Urban III. mens declaratur.

13 Text. in cap. licet undique, de officio delegati, intelligi debere juxta text. in cap. ult. mo de officio legati, & in dicto cap. gratum, de officio delegati, non vera juxta text. in d. c. relatum, ejusdem tituli, nova, & vera Authoris consideratio, in hac materia.

14 Ad text. in d. c. gratum, nova & vera ratio assignatur, quæ Romanus Pontifex moveri potuit, ut sic decideret.

15 Delegati jurisdictionem, de jure canonico per citationem perpetuari, ex veriori, & communiori sententiæ, & aliorum sententiæ improbari debere, prout hoc numero advertit Author, idque & de jure Casareo similiter obtinere.

16 Delegati jurisdictione de jure Regio, an per citationem perpetuetur, vel per litis contestationem, & ibidem de intellectu leg. 21. titulo quarto, partita tertia, & leg. 35. titulo 18. eadem partita.

Pro dilucidà & singulari præsentis materiæ explicatione, atque ut in futurum vera, & certa hujus rei resolutio, & dictorum jurium interpretatio haberi possit, nec amplius de ipsorum intellectu dubitari valeat, nonnulla equidem adnotanda erunt, quæ ex eisdem juribus velut expressim deducuntur, nec alibi inveniuntur scripta, sed à me fuerunt longa consideratione præhabita. Et ad rem deveniendo, imprimis, quod dilucidè magis, & distinctè procedamus, constitinere necessarium erit, explorati, certique juris esse, delegantis morte, re integra, delegati jurisdictionem extinguat; re non integra, non extingui, per text. in d. l. § quia, ff. de jurisdictione omnium judicium, in cap. gratum, in c. relatum, & in c. licet undique, de officio, & potest. judic. deleg. in c. ultimo, de offic. legati,